Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26524
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Cultus disparitas. uis. ordo. ligamen. honestas. Si sis et affinis. si forte coire nequibis. Et ex hiis quedam impediunt contrahendum et dirimunt contractum. quedam impediunt contrahendum sed non dirimunt iam contractum. Illud in fine notabis quod transactio non habet locum in matrimonio. Item nec pene appositio. Item quod edictum de contrahendo matrimonio est prohibitorium. Unde quicumque non prohibetur potest contrahere. Item matrimonium potest contrahi sub honesta conditione. Item quantocumque tempore maritus fuerit absens uxor contrahere non potest. nisi fuerit certa de morte mariti

De desponsatione impuberum

Puberes quantum ad matrimonium contrahendum dicuntur a prudentia sui corporis. ut ex habitu corporis pubertatem ostendat. utrum generare uel concipere possint. et non ex annis. quia prudentia sive malitia supplet etatem. In fine notabis quod ante legittimam etatem non est aliquis copulandus. nisi iusta aliqua causa interveniente.

De clandestino matrimonio.

Matrimonia multis modis dicuntur clandestina. et precipue tribus modis. Uno modo. cum testes non habentur. Item secundo modo. cum non adhibetur ibi sollempnitas. Item tertio modo dicitur matrimonium clandestinum. quando non observatur constitutio super hoc edita in concilio lateranensi. Tenent tamen coniugia taliter celebrata. dummodo postea ab ecclesia approbentur. Item nota. quod sollempnitates que in matrimoniis adhibentur non sunt de substantia matrimonii sed ideo adhibentur testes ne quando velint possint ab invicem recedere. et sic coniuncti legittime quo ad deum quamvis separentur. Solus est consensus sine omni sollempnitate matrimonium facit. In fine notabis quod clandestinum matrimonium manifesto preiudicat. si clandestinum probetur precessisse. alioquin prevalet manifestum. quia ecclesia de occultis non iudicat. nec creditur assertioni illorum qui matrimonium clandestinum confitentur.

De sponsa duorum.

De rubrica de sponsa duorum notabis quod si aliquis contrahat sponsalia de futuro. et postea contrahat cum alia per verba de presenti. tenent secunda sponsalia. primis solutis licet contrahere non debuerit. Sed si primo contrahat sponsalia de presenti. si postea cum alia contrahat non tenent sponsalia. sive sint de presenti sive de futuro. etiam si secundam cognovisset. et non primam.

De conditionibus appositis in desponsatione.

Hec dictio conditio. multis modis dicitur. Dicitur est conditio status persone. unde dicitur quis servilis uel libere conditionis. Item dicitur conditio rei.